DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

10

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

H Y S T E R I A ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS B. TUCKER,

BERMUDIENSIS.

"*Her humour ever wav'ring to and fro;*
"*For sometimes she would laugh, and sometimes cry,*
"*Then sudden waxed wroth, and all she knew not why.*"

THOMSON, *Cast. Indol.* Cant. I.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCCI.

PATRI,

OPTIMO INDULGENTISSIMOQUE,

JOANNI TUCKER,

ARMIGERO;

HAS

STUDIORUM

PRIMITIAS,

PIETATE, QUA FILIUM DECET,

D. D. CQUE

THOMAS B. TUCKER.

JOANNI BRICKWOOD, Seniori,

ARMIGERO,

PROBITATE, PATRIÆ AMORE,

OMNIBUSQUE BONIS ARTIBUS

ORNATO;

HOC

OBSERVANTIÆ ET GRATI ANIMI

SIGNUM

OFFERT

THOMAS B. TUCKER.

J O A N N I   B E L L,

EDINENSI,

QUO

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

PERITIOREM HAUD FACILE

INVENIES ;

HOC PERTENUE

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

LITERIS

CONSIGNAT

THOMAS B. TUCKER.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

THOMA B. TUCKER AUCTORE.

HISTORIA.

HYSTERIA sæpius, quàm alius ullus morbus, fœminas adoritur. Signa, quibus cognoscitur, numero plurima sunt; atque in aliis fœminis, aliisque accessionibus varia, pro causis, forsan, quibus concitata sint, et conditione ac proprietate corporis.

Non mihi igitur consilium est, singula hujus morbi indicia perscribere, sed duntaxat ea, quæ, utì maximè communia sunt, ita memoratu dignissima. Etenim omnia recensere, hanc disputationem justo longiùs produceret; cùm præsertim ferè numero plura sint, et diversos videantur constituere morbos. Rarissimè, enimvero, eadem sunt, in duabus fœminis; aut, eâdem, diversis temporibus.

Hinc accidit, ut nonnulli auctores, rati notas tam multas atque dissimiles, quibus, aliis fœminis aliisque temporibus, insignitur *hysteria*, non ad unum pertinere morbum, ad diversos retulerint. In hoc verò, ut mihi videtur, in magnum errorem inciderunt: namque, cùm notæ, utcunque variæ et diversæ videantur, ex eadem conditione corporis oriantur, atque iisdem medicamentis curentur et remediis, ad unum certè morbum referendæ sunt.

Accedente

Accedente *hysteriâ*, ægra languescit; lassescit; suspiria subindè trahit; oscitat, extentis simul membris; atque rigores ac frigus totum corpus percurrunt. Externi nonnunquam sensus, nonnunquam interni, afficiuntur. Hebescunt oculi; spirandi difficultas est; atque urina limpida, aquæ similis, magnâ copiâ redditur. Caput, at maximè occiput, fixo dolore afficitur, ferè intolerabili, qui, sicut adacto clavo oriri, ægræ videtur. Ex ficta causæ similitudine, hunc dolorem medici *clavum hystericum* nominârunt.

Pòst paulò, omnia hæc signa ingravescunt; simulque, in ima parte sinistri abdominis, prope uterum, doloris itemque plenitudinis sensus percipitur. A parte dolente globus, modò major, modò minor, jam durior, jam mollior, tortuosâ, utì videtur, intestinorum viâ, cum murmure, ad stomachum usquè ascendit; ubi inflationem movet, dolorem, præcordiorum gravitatem,

 nauseam,

nauseam, haud raro etiam gravem vomitionem.

Hic globus nonnunquam in stomacho consistit. Sæpius autem, gulæ viâ, fauces petit, ubi, breviùs diutiùsve remorans, suffocationem minitatur. Aliquandò complures dies manet, absque aliis morbi signis, vel postquam decesserint. Plerumque verò, statim ferè postquam ad fauces pervenerit, alia signa se manifestant.

Totum corpus, aut pars ejus, præcipuè truncus, convulsionibus vehementer agitatur. Digiti manuum, musculis spasmo correptis, in volas comprimuntur. Sinum dextra plerumque manus graviter tundit, interdum utraque. Umbilicus usquè eò retrahitur, ut abdomen extrinsecùs concavum sit. Murmurant intestina. Anus, *sphinctere* contracto, adeò nonnunquam constringitur, ut neque intromittat clysterem

exiguis-

exiguissimum, neque contento spiritui exitum præbeat. Simili vesicæ *sphincteris* contractione urina supprimitur.

Aut aliena obscœnave effutiunt ægræ, aut flebili ploratu misericordiam astantium movent, et terrorem. Aliquandò subitâ musculorum contractione truncus plurimùm inclinatur aut retrahitur, atque paulisper inclinatus aut retractus manet. Interdum, ut in *tetano*, immobiles oculi sunt, et in eodem obtutu hærent. Aliàs, ægræ tam sensûs quàm motûs expertes fiunt; atque, sicut *catalepsiâ* affectæ, statuas simulant, membris situm, in quem alienis manibus flectuntur, retinentibus. Modò in orbem totis corporibus subitò vertuntur. Modò jacent somno oppressæ; modò, sicut *apoplecticæ*, membra sopore devinctæ. Aliquandò nervi unius lateris resolvuntur.

Nonnunquam *hystericæ* omnibus signis *dyspepsiæ*

pepsiæ afficiuntur; veluti defectu stomachi, nauseâ, vomitione, inflatione, ructu, ruminatione, stomachi ardore et dolore. Contrà, interdum voraces sunt, atque oblatos cibos canino appetitu devorant. Haud raró maximâ anxietate, atque præcordiorum gravitate opprimuntur, simulque corde vehementer dolent.

Alvus plerumque adeò astricta est, ut vix, nisi idoneis medicamentis, solvi possit. Interdum ægræ colico dolore, gravibus torminibus, et continuâ ferme vomitione affliguntur; quæ interdum mala complures dies manent, neque raró demum in morbum regium transeunt. Aliis autem temporibus, alvi profluvio laborantes, quoties urgent tormina, magnam copiam stercoris dejiciunt; qua dejectâ, inani egerendi cupiditate afficiuntur, simulque pungente ardenteque dolore intestini recti. Vehemens interdum pulsatio in abdomine percipitur.

Hyste-

Hystericæ persæpe vehemente urinæ desiderio afficiuntur, atque urinam limpidam, aquæ similem, magnâ copiâ reddunt. Aliàs, sicuti *nephritide* affectæ, magno dolore cruciantur, quem ad renes referunt, quique subindè, urinæ meatuum viâ, deorsum, vesicam versus, pervenit. Hic dolor, atque continuus ferè vomitus quo vexantur, incertum haud rarò reddunt, utrùm *nephritide* laborent, an *hysteriâ*. Ipsa, enimvero, vesica nonnunquam graviter dolet, aut ardore et substillo afficitur. Imò, aliquando urinam faciendi prorsùs impotens est.

Hoc morbo ægræ interdum conqueruntur, de spirandi difficultate, pectoris angustiæ sensu, cæterisque malis quibus suspiriosæ plecti solent. Aliàs, vexantur tussi siccâ, crebrâ, imò vix intermissâ, quæque stridulum reddit sonum.

Cor adeò vehementer palpitat, ut, id sanè quod ægræ ipsæ vix credunt, ictus ejus ab astantibus

stantibus exaudiantur. Arteriarum motus cùm vi tum temporibus varii sunt. Haud rarò intermittunt: plerumque verò celeriores sunt, quàm ex consuetudine. Per intermissiones quidem accessionum, citatiores sunt, quàm ii sanarum fœminarum esse solent.

Spiritus itidem varius est, pariter atque pulsus arteriarum. Haud rarò, præeuntibus vertigine, nauseâ, et vomitu, ægræ ab animo linquuntur. Accessiones interdum adeò frequentes sunt, adeòque diuturnæ, ut ægræ, pro mortuis habitæ, frigido eheu! humo præsepultæ sint. Alii musculi atque alii tremoribus spasmisque afficiuntur. Partes nonnullæ nunc graviter dolent, et quasi constrictæ videntur; nunc tensæ aut tumidæ sunt: simulque, vel paulò pòst, rigidæ sunt, et frigidæ, velut in mortuis; usquè profectò eò, ut calefieri vix possint. Nihilo tamen minùs arteriarum intere-

rea

rea pulsus ferme, tam vi quàm temporibus, æquales sunt.

Aliis contrà temporibus, *hysteriâ* ægras vicissim percurrunt calor et frigus; dein facies pallet, vicissimque calet et rubet. Cutis, hìc illic, perpruriscit, aut formicatione afficitur; neque raró purpureis papulis efflorescit. Eodem tempore, et multas pòst hebdomadas, ægræ ore salivant. Nonnunquam sudor, at plerumque frigidus, toto corpore oritur.

Per accessiones, ægræ nonnullæ flent ac lamentantur; aliæ risus edunt. Sæpius verò ægræ flent, risusque edunt, vicissim. Vel continuâ vigiliâ premuntur; vel somnos capiunt per somnia terrifica tumultuosos, quibus parùm, imò non omninò, recreantur.

Hystericæ modò *chlorosi* tabescunt, modò *leucorrhœâ*. Menses vel non redeunt, statutis

temporibus, vel solito parciùs solitove uberiùs fluunt; atque, temporibus quibus provenire debent, omnia signa morbi exasperantur.

Præ sensu nimìs acri, adeò mobiles hoc morbo ægræ sunt, ut omnis aura, omnia subita et inexpectata terreant. Animo adeò mutabiles sunt, ut res vel levissimæ contristent, aut lætitiâ efferant. Ingenio mobilissimæ, colligunt iram et ponunt temerè; adeòque facilè in varias partes trahuntur, ut rarissimè tranquillitate animi fruantur. Levissimo casu solicitæ fiunt, et tristes: saluti desperant: et novum quotidie advocant medicum.

Postquam plura pauciorave malorum, quæ recensuimus, aliquandiu leviùs urserint graviùsve, morbus tandem remittit. Arteriarum motus tardiores fiunt, molliores, itemque pleniores et æqualiores. Pallor faciei paulatim evanescit. Oculi, ut ii sanarum, nitent; et obvia,

ut

ut antea, clarè et distinctè percipiunt. Convulsiones et spasmi, quibus affectæ diversæ partes corporis sunt, cessant. Suppressi humores deintegrò secerni incipiunt. Per totam longitudinem, murmurant intestina; atque devolutus spiritus magnâ vi ano erumpit. Suus corpori redit calor, nec rarò erumpit sudor. Humor mucosus, sæpe sanguineus, ex vagina stillat. Atque ægræ, sicut ex sopore expergiscentes, singultu conquassatæ, longaque suspiria ex imo pectore subinde ducentes, loquelam, sensum, et motum redipiscuntur; paulatimque ad pristinam valetudinem redeunt, at prorsùs oblitæ rerum, quæ, inter accessionem, acciderunt.

Aliquandiu, postquam revixerint, de dolore capitis conqueruntur, vertigine, itemque languore et lassitudine totius corporis. Accessiones incerto circuito redeunt; sed interdum assuescunt redire, æqualibus interjectis temporibus.

Hysteria plerumque finitur, modo quo diximus. Interdum verò, dummodo vehementes causæ morbum concitaverint, ægræ per omnia membra, horrendum in modum, convelluntur; atque malorum, quibuscum exhaustæ vires diutiùs colluctari nequeunt, requietem sempiternam mors affert.

DIAGNOSIS.

Tot signa *hysteriæ* communia sunt cum aliis quibusdam morbis, ut in primis difficile sit, illo morbo hos dignoscere.

Ante Hoffmannum, qui primus, quantùm scimus, ostendit, *hysteriam* et *hypochondriasin* multùm inter se differre, omnes medici clarissimi unà *dyspepsiam*, *hypochondriasin*, et *hysteriam*, communi nomine, *nervosis morbis*, confundebant. Quinetiam, censebant, *hypochondriasin* eundem, in maribus, morbum esse, qui, in fœminis, *hysteria*.

Verùm, etiamsi his morbis communia nonnulla signa sint, tamen sua cuique quædam sunt, quibus cæteris distingui potest. Cùm ita sit, quibus

bus internoscant medici, nunc quàm paucissimis dicendum est.

Hypochondriasis—et *hysteria* hoc differunt, quòd ille morborum, hic non item, mares melancholico temperamento contristat. Hoc autem temperamentum indicant corpus firmum, siccum, et macilentum; venæ amplæ et turgidæ; arteriæ exiguiores; oculi colore fusci, aut nigri; capilli atri, sicci, et crispi; vultus lugubris, gravis, meditabundus; animus propositi constans et tenax; musculorum fibræ pigræ et torpidæ; arteriarum pulsus tardi, atque incitatu difficiliores; humores, cùm secreti tum excreti, non solùm parciores, sed etiam acriores. Hujus, porrò, generis homines, utì iram tardè colligunt, ita ponunt ægrè.

Fœminæ, contrà, sanguinei temperamenti, *hysteria* sæpius plectuntur. Hujus temperamenti signa sunt, solidæ partes corporis laxæ et succi-

succidiores; cutis levis, mollicella, et pulchra; capilli molles, humidi, atque aut rufi, aut flavi, aut albidi; venæ flaccidæ, arteriæ pleniores; os rubicundus; aspectus hilaris; sensus acutus, ingenium mobile; arteriarum motus celeres, atque incitatu faciles; ea, cùm quæ secernuntur, tum quæ excernuntur, copiosiora; animus alacer atque lætus, at qui, utì varius est, atque mutabilis, ita citò concipit iras, citò deponit.

Hypochondriasis rarissimè, ante vitæ meridiem, obrepit; *hysteria* autem adoritur, inter pubertatem et trigesimum quintum ætatis annum. In hoc morbo urgent, *globus hystericus*, *clavus hystericus*, convulsiones, spasmi, animi deliquium; in illo, non item. *Hypochondriacorum* abdomen, maximè stomachus, tumescit, et ultra modum prominet; *hystericarum*, contrà, potiùs retrorsum trahitur.

Hysteria,

Hysteria, porrò, plerumque subitò invadit, et subitò decedit: *hypochondriasis* autem, utì lentè obrepit, et diù protrahitur, ita curatur tardissimè. Hic morbus, contrà atque ille, oritur duritiâ alicujus viscerum abdominis. *Hypochondriaci* non solùm ad cibos concoquendos invalidi sunt; sed etiam animo demissi, meticulosi, semperque præsagi mortis: *hystericæ*, non itidem.

Quinetiam, *hypochondriasis* frequentior morbus est in frigidis regionibus; in calidis, contrà, *hysteria*. In hunc morbum proclives sunt fœminæ irritabiles; in illum, mares torpidi. *Hysteria* nonnunquam in morbum comitialem transit, aut furorem uterinum, aut acutam febrem. *Hypochondriasis*, contrà, interdum desciscit in melancholiam, insaniam, morbum regium, asciten, tympaniten, aut obscuram *hecticam*. Mares rarissimè *hysteriâ* corripiuntur;

antur; fœminæ, nisi vetulæ effœtæ, nunquam ferè contristantur *hypochondriasi*.

Dyspepsia—ab *hysteria* dignoscitur, eò quòd à solitis *hysteriæ* signis non incipit; neque ægros convulsionibus afficit, aliisve malis, prætorquam quæ ex stomacho ad cibos concoquendos invalido, et alvo tardà et malè se habente, oriantur; cujus generis sunt, nausea, defectus stomachi, vomitus, inflatio, atque alvus contento spiritu dura et tumida.

Epilepsia—et *hysteria* internoscuntur, eò quòd hoc morbo correptæ fœminæ neque tot musculis convelluntur, neque tam graviter, quàm illo implicitæ. Quinetiam, rarissimè ore spumas agunt, vel fatuæ fiunt. Plerumque verò *clavo* et *globo* vexantur; qui nunquam, quòd scimus, morbo comitiali correptas afficiunt:

Syncope—aliqua similitudo est cum *hysteria*,

 sed

sed haudquaquam tanta, utì nobis videtur, quanta errorem, de morbo, creet; eòque minùs, cùm notæ quædam sint, quibus internoscantur. Animâ enim deficiente, cor et arteriæ pulsus intermittunt; sed, urgente hysteriâ, motus, quamvis languidos, perpetuant. In illo morbo, interquiescit spiritus, atque pallescit facies; in hoc, spiritus manet, atque facies aliquantùm rubescit. Quinetiam, accessio *hysteriæ* longior est; sæpe, enimvero, in longum tempus protrahitur: ea, contrà, *syncopes* brevi vel ipsa finitur, vel ægram tollit. *Hysteria*, denique, distentione nervorum abdomen afficit, non ita *syncope*.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

CAUSÆ REMOTÆ, quibus proficiscitur *hysteria*, in duo genera dividuntur; quorum unum eas complectitur causas, quæ corpus in *hysteriam* proclive faciunt; alterum autem eas continet, quæ in proclivi corpore morbum concitant. Illius generis causæ, medicorum linguâ, PRÆDISPONENTES nominantur; hujus, EXCITANTES. De utroque causarum genere, breviter dicendum est.

GENUS PRIMUM.—*Hysteria*, uti suprà diximus, fœminas eà præcipuè ætate afficit, quæ inter pubertatem interfluit et trigesimum quintum annum; atque eas, præ cæteris, fœminas, quæ sanguineo temperamento sunt, quæque aut malignitate naturæ steriles sunt, aut præ-

maturâ viduitate infœcundæ. Iis maximè temporibus in *hysteriam* proclives fœminæ sunt, quibus naturali corporis constitutione menses redire solent; eò, utì videtur, quòd, his temporibus, ad irritandum faciliores sunt.

Morbus, de quo scribimus, rarissimè adolescentulas corporibus firmas adoritur; infrequentiorque multo est, apud agrestes fœminas, quàm apud urbanas. Quinetiam, sæpius splendidas invadit, quàm obscuro loco natas.

Causis, quæ plurimùm valent ad fœminas aptas faciendas, quæ *hysteriâ* corripiantur, annumeranda sunt, intemperantia potulentorum tepidorum, aquarum velut, in quas fervidas macerata *thea* aut *coffæa* sit, dum simul firmioribus cibis nimìs abstinetur; ea, quæ nervos torpidos faciunt, nempe *tabacum*, opium, potus distillati, et si qua similia; conclavia calida, neque aëris perflatum habentia, quo gravis aër

aër et insalubris puro permutetur; cœli gravitas, aut loci vitium; frequens balneum; nimia quies, corporisque ignavia; mensium longa seu abundantia, seu mora, seu infœcunda intermissio; vicarius mensium albidus fluxus; febricula; stomachus imbecillus, et ad concoquendum invalidus; viscerum duritiæ.

Ad idem genus pertinent, fatigatio; vigiliæ; frequens concubitus; frequens sanguinis detractio, frequentesve alvi purgationes. Ejusdem quoque generis sunt, ea, quæcunque animum demittunt, et quomodocunque coquunt et vexant; veluti mœror diuturnus, metus, vigiles curæ, amor irritus, invidia, zelotypia, et si qua his similia.

Causæ, quas hactenus memoravimus, fœminas *hysteriæ* obnoxias reddunt, corpus debilitando. Debilitas autem corporis aut naturalis est; quando, scilicet, hæreditatis more, pervenit

venit à parentibus ad prolem, ut, nostrâ ætate, sæpissime accidit, ideoque *hysteria* hæreditarius neutiquam rarò morbus est: aut efficitur causis, quæ, labentibus vitæ annis, corporis compages solvunt et infirmant.

Ad idem, porrò, genus spectant, omnia, quæ corpus, ultra modum, implent. Hujusmodi sunt, menses, pubescente naturâ, non provenientes; diæta opipara; ignavia; sanguinis ex qualibet corporis parte profluvium frequens, aut copiosum; necnon etiam justo parcior secretio humorum, qui ex sanguine secerni solent; vetera ulcera siccata; scabies repulsa; hisque assimilia.

Neque, profectò, mirum videbitur, impleta, præ cæteris, corpora *hysteriæ* patere; dummodo in memoria teneamus, quorum vasa sanguine, supra quàm debent, plena sunt, eo-

rum

rum partes solidas simul laxas esse et infirmas.

Debilitas autem et plenitudo proclives in *hysteriam* fœminas faciunt, non solùm quatenus totum corpus male afficiunt, sed etiam, fortasse, quatenus genitalia ad sua munera invalida reddunt. Propter enim mirum, necdum satìs intellectum, consensum, qui, per nervos, genitalibus intercedit cum toto corpore, his partibus infirmis, totum corpus justo aptius redditur, cujus sensus moveatur, simulque incitatu facilius.

Frequens, denique, musculorum usus non mobilitatem modò, seu ad motum propensionem, potest inducere, sed adaugere quoque inductam. Namque, uti experientià docemur, musculi crebris motibus quibuslibet diù assueti, eosdem paulatim motus cùm faciliùs tum validiùs concipiunt. Quo fit, ut omnes morbi,

qui

qui in musculorum spasmis consistunt, curatu difficillimi sint, et levissimis causis redeant curati.

Genus secundum.—Dictis causis, quæ corpus *hysteriæ* obnoxium faciant, nunc ad eas venimus, quæ, in obnoxio corpore, hunc morbum excitent. Hujus autem generis causæ numero adeò multæ sunt, ut nobis consilium sit, eas carptim, ut quæque memoratu dignæ videntur, perscribere.

Hysteriam, haud raró, excitant animi, repentinis et inopinatis quibuslibet permoti; seu gaudio, irâ, et amore auspicato ac expetito perfusi. Hunc quoque morbum movendi potentia sunt, libido, quo tempore redire solent menses; animus tristitiâ demissus, vel horrore, terroreve perculsus. Quemadmodum autem morbum faciant hæ causæ, haudum satìs constat, et forsitan midicis diù latebit.

Quin-

Quinetiam, aspectus *hysteriâ* laborantium, haud rarò in adstantibus eundem morbum concitat; non per horrorem modò, quem movet, verùm per consensum quoque, mirum sanè et explicatu difficilem, quo, sicut insitâ naturæ contagione, mortales, alii aliorum, morbos participant. Imò etiam, in fœminis, quæ *hysteriâ* antea affectæ sint, ipsa imaginatio, mala futura, forsan ne futura quidem, anticipando, eundem iterùm morbum interdum excitat.

Quidam, porrò, odores, quippe qui offendant nervos, qui olfaciunt, *hysteriam* movent, iis potissimùm fœminis, quæ quadam corporis proprietate in eam proclives sunt. Interdum etiam hunc morbum cient, dolor, quem dentes cariosi movent, vel exulceratio. Haud rarò item faciunt vermes et acria, quæ intestina irritant, et, per hæc, cerebrum et nervos.

Nonnunquam, denique, causæ, quæ corpus

hysteriæ obnoxium reddunt, vi et diuturnitate ipsæ hunc morbum concitant. Quæ potissimùm hoc faciunt, eæ sunt, profluvia, pervigilationes nocturnæ, lucubrationes, fatigationes, febres, calores vehementes; necnon etiam, quæcunque corpus justo plenius faciunt, diæta præsertim valens et opipara, menses suppressi, desidia, hisque assimilia.

PROG-

PROGNOSIS.

Quanquam morbus, quem persequimur, haud rarò aspectu formidulosus est, et adstantes mortis metu terret; rarissimè tamen periculosus ipse est, nedum lethalis. Nonnunquam autem in lethales morbos transit; nimirùm abortum, morbum majorem, *apoplexiam*, acutam febrem, interdum etiam in *nymphomaniam*.

Quò diutiùs inveteravit *hysteria*, et quò graviores accessiones, eò sanatu difficilior est. Ægerrimè quoque curatur, ubi hæreditariâ corporis proprietate oritur. Verùm etiam in iis

tamen, quæ naturâ in eam maximè proclives sunt, nullâ subveniente medicinâ, prorsùs desinit, aut obrepente senectute, aut mutatione loci, aut aliâ diætâ et vivendi ratione.

CURATIO.

CURATIO.

Nondum inter medicos convenit, utrùm in parte oriatur *hysteria*, an in toto corpore consistat. Illam sententiam acceperunt haud pauci præclaris ingeniis; eò inducti, quòd omni ætate, ex quo tempore florebat Hippocrates, observatum est, hunc morbum, constitutis naturà temporibus, maximè accedere, ubi menses redire debent.

Non autem licet concludere, *hysteriam* solius uteri morbum esse, ut ejus nomen significare videtur, et tot medici, cùm vetustiores tum recentiores, crediderunt. Ipsa enim uteri arteriarum plenitudo, atque vehementiores motus, quibus hæc menstruis se exonerare conantur, possint

sint totam fœminam malè afficere, dummodo, ut in hunc morbum proclives solent, mobilis sit et irritabilis.

Quinimo, si verum sit, quod contendunt nonnulli, vel mares *hysteriâ* nonnunquam affici, prorsùs evertet sententiam eorum, qui, in utero consistere hunc morbum, volunt. Verùm confitendum est, multos esse, qui illis hoc argumentum credere nolint; propterea quòd tanta interdum *hypochondriasi* et *dyspepsiæ* est similitudo cum *hysteria*, quanta dubitationem moveat, hoc, necne, morbo mares unquam afficiantur.

Quum medici etiamnum ignorent, ubi sedes, et quæ *hysteriæ* natura sit, nondum intelligunt, qua ratione prosperrimè curetur. Nostrum tamen est, proponere, quam in rationem curandi procedere soleant, et memorare,

quibus

quibus medicamentis atque remediis maximè confidant.

Commune omnium, quòd scimus, medicorum est, *hysteriam* quamprimum fugare, deinde providere, ne denuò incurset.

Antè verò quàm dicimus singula medicamenta et remedia, quibus hæc fiant, haud alienum erit memorare, medicos interdum, ubi morbus videtur arteriarum nimià plenitudine ortus esse, præcipere, ut, ante omnia, sanguis detrahatur. Timent enim, ne, hoc neglecto, convulsiones committant, ut sanguis cùm incitatiùs tum enixiùs propellatur in caput, atque hinc detrimentum cerebrum capiat. Imò etiam, ubi arteriæ non, ultra modum, plenæ sunt, fieri tamen potest, ut graves convulsiones, modò diù protrahantur, graviter perturbent motus cordis et arteriarum; adeò ut justo plus sanguinis in vitalia

vitalia quædam distribuatur, et ægram in extremum discrimen adducat.

Sanguinis autem detractio, etiamsi mala levet, quibus affligantur *hysteriâ* laborantes, tamen, ut clarè exposuit CULLENUS, committit, ut, in posterum, adhuc pleniores evadant, et sic huic morbo opportuniores.

His de sanguine mittendo præmissis, nunc singulatim dicere de medicamentis et remediis, quibus *hysteriâ* ægris subveniatur, nobis consilium est.

Opium—cæteris omnibus præpollet medicamentis, quæ spasmum solvere possunt. Nullum enim medicamentum tam citò sedat motus, in quos, animi injussu, musculi cientur.

Quantâ motus musculorum tranquillandi vi polleat opium, constat ex captis in viliora animalia

malia experimentis. Compertum enim est, liquatum opium in spinam ranæ injectum, primùm convulsiones musculorum movere, deinde omnes pariter motus soporare. In venam *jugularem* immissum, dicto ferme citiùs, utì comperit ALEXANDER, impotentes se contrahendi musculos facit, vitamque extinguit.

An verò hæc faciat opium corpus totum incitando, an, id sanè quod censet CULLENUS, cùm incitando tum sedando, nondum inter medicos convenit. Ad præclari hujus medici sententiam accedimus. Namque hoc medicamentum, haud secùs atque alia quædam ejusdem generis, cor incitat atque arterias, et animum levat exhilaratque. Eodem autem tempore, ut opinatur idem auctor, quo instigat cor et arterias, cerebrum sedat et nervos, at tum maximè, cùm sudorem elicit.

Verùm hoc tamen medicamentum, quamvis

ad motus abnormes consopiendos tantùm polleat, *hysteriâ* laborantibus haud sæpe præscribunt medici. Compertum enim est, frequentem ejus usum non stomachum modò et alvum infirmare, verùm cæteri quoque corporis vires resolvere.

Apud homines, qui, velut MAHOMETANI, obstringunt se religioni, quæ vino liquoribusque distillatis eos prohibet, mos est opium mandere. Quotquot autem, singulis diebus, hoc sibi indulgent dum obstupescant, ii, haud longo tempore, pallescunt et luridi fiunt. Invalidus stomachus nequit cibos concoquere. Tardescit alvus. Tremiscunt artus. Et, ne multis, superveniunt omnia mala, quæ ebriositas affert.

Quum ita sit, medici non debent *hysteriâ* ægris opium priùs præscribere, quàm, satìs, necne, valeant mitiora, experti sunt. Quòd si, periculo

periculo facto, hæc non responderint, tum licebit iis præcipere, ut opium assumant, vel, quod satius erit, *tincturam* ex hoc, utpote quæ citiùs corpus pervadat.

Gummes fœtidæ—secundas tenent. Asa fœtida à vetustioribus scriptoribus evecta in cœlum laudibus est, ob multas virtutes, quas, nostris temporibus, experientia docet non possidere. Hoc accidit, non quia descivit à naturali bonitate, sed quia incurià mercatorum, et temporis longinquitate, vires amisit.

Odoris fœditas, quo major est, eo optabiliorem bonitatem indicat. Quippe compertum periculo est, utì fœtor, ita esse virtutem medicinalem. Ita esse, hinc probatur, quod odoratus hujus gummis in quasdam fœminas tantùm valet, quantùm ipsa gummis assumpta in stomachum.

Asa fœtida eorum, qui assumpserint, animos lætificat et tranquillat. Appetitum movet. Arterias jucundè citat; facitque, ut humores, qui valetudini secundent, peroptatò secernantur. Neque his utilitatibus superveniunt languor et torpor, qui iis obrepunt, quotquot opio se stupefecerint, aut vino impleverint distillatisve liquoribus.

Sex ægrarum, quæ, in valetudinario EDINENSI, *hysteriâ* laborabant, quibusque asam fœtidam assumendam curabat FRANCISCUS HOMIUS *, qui earum valetudini consulebat, quatuor egressæ valetudinario sunt sanatæ, vel saltem, complures postea dies, à morbo vacuæ erant; cæteris autem duabus vomitum movebat hoc medicamentum, tametsi, unà cum eo, *tincturam* ex opio assumerent.

Si quando, ut interdum, convulsiones, quibus

* Vid. FRANCISC. HOM. *Clinical Experiments.*

bus *hysteria* correptæ afficiuntur, adeò vehementes sunt, tantove hæ ipsæ obruuntur sopore, ut asam fœtidam devorare nequeant; tum hanc in alvum, ex inferiore parte, indere necesse erit. Interdum, porrò, haud inutile erit, emplastrum ex asa fœtida stomacho extrinsecùs superimponere.

Ammoniacum,—*galbanum*, *opoponax* et *sagapenon*, medicamenta contra *hysteriam* efficacia existimata sunt. Sagapenon, tametsi fœdo ac permanante odore cæteris gummibus fœtidis antecellat, præter asam fœtidam, tamen ab *hysteria* correptis rarissimè adhibetur.

Castoreum—ad *hysteriam* curandam parùm valet, nisi magnâ copiâ assumatur. Nostris temporibus, nequaquam ad spem respondet, quam excitant vetustiores scriptores.

Moschus—plurimùm sanè ad spasmos dissolvendos

vendos pollet. Eo *hysteriâ* ægris subvenitur, quibus parùm opitulatur opium, aut detrimentum affert. Sæpe autem fallit; verùm an mucore, an vitio quod ceperit, an quia justo parciùs assumptus est, nondum liquidò apparet.

Ignis electreus—remediis annumerandus est, quæ possunt ad spasmos solvendos. Nihil verò, vel saltem parùm, pollet ad motus inordinatos sedandos, nisi quatenus animum commovet, atque repentinum ei pavorem aut metum injicit. Animi perturbationes haud rarò gravissimos morbos sistere, jamdudum medicis innotuit. Clarus, utì accepimus, dux, ex podagra, qua cruciabatur, inopinato hostium impetu evaluit. Quinimo, intermittentes febres nonnunquam animo inopinanter commoto finiuntur. Neque, enimvero, nobis dubium videtur, quin eodem planè modo *hysteriam* depellat ignis *electrinus*.

Per *hysteriæ* intermissiones, haud inutile erit revalescentibus hoc remedio uti, quo virium redintegrationem secundet; quippe enim vi, qua pollet, stimulandi, cor salutariter instigat et arterias, facitque, ut in corpus æqualiter totum sanguis distribuatur.

Ubi unà ratione applicatum hoc remedium non respondit, alià experiendum est atque alià, donec inventa sit, qua proficiat. Plùs pollebit minùsve, prout interpositas materias vis ejus faciliùs difficiliùsve penetret.

Quanto plùs unus ignis *electrici* usus alio valeat, experientia docuit. LONDINII, paucos antè annos, homo, inferiorum membrorum nervos resolutus, valetudinarium se contulit; ubi, morbo cognito, præceptum à medico est, ut ægra membra igne *electrico* subinde icerentur. Quoniam verò ictus nihil profuerunt, se in valetudinarium DIVI THOMÆ subduxit; quò cùm

per-

perventum esset, percunctantem, quemadmodum igne *electrino* jam esset usus, medicum certiorem fecit, membra, statutis temporibus, at avibus non secundis, icta fuisse. Hoc cognito, medicus dedit negotium iis, quorum erat jussa ministrare, ut, vice ictuum, quoniam jam deceperant, *auram electream*, certis temporibus interpositis, substituerent. Ministri, haud secùs ac jussi, fecerunt; atque, haud multò pòst, paralyticus valetudinario egressus domum est, membra curatus.

Æther sulphuricus,—tametsi nondum satìs intelligant medici, quibus ex partibus componatur, ad spasmos tamen solvendos efficacissimum medicamentum est. Parva hujus ætheris vis æquè, utì periculo compertus RUTHERFORDIUS est, contra *hysteriam* pollet, atque magna. In valetudinario EDINBURGENO, hic medicus, nobis testibus, fœminam *hystericam* perduxit ad sanitatem, dando ei, accedente accessione, *ætherem*

sul-

sulphuricum, atque, per intermissiones, *tincturam aloës*. Ubi *hysteriæ æthere sulphurico* subvenitur, opus est, ut dosis integretur, aut supèr assumatur aliud medicamentum, ex iis quæ spasmos dissolvendi vim possident.

Carbonas ammoniacæ,—sive in stomachum assumptus, sive externo corpori admotus, magnà vi incitandi pollet. Inter torporem, qui accessioni *hysteriæ* supervenit, paucæ guttulæ hujus medicamenti, *acido carbonico* privati, aquæ cyatho aut ore capiantur aut naribus, quò, stomachum stimulando, aut narium membranam ubi olfactûs sedes est, ægram exsuscitent.

Quò *ammoniaca* ab *acido carbonico* dissocietur, nihil aliud requiritur, quàm pauxillum *carbonatis ammoniacalis* in pulverem contriti, atque *potassæ*, extremis digitis tepidà aquà humidis capere. Hoc facto, *acidum carbonicum*, repudiatà *ammoniacà*, nuptias init cum *potassa*, et

 carbo-

carbonatem potassæ generat; dum, digitis naribus admotis, dissociata *ammoniaca* membranam, ubi sedem habet olfactus, potentissimè stimulat. Hoc interdum medicamentum exsuscitat animo derelictas, postquam valentissima præparata fefellerunt.

Dictis medicamentis, quibus fugetur *hysteria*, nunc ad ea venimus, quibus præcaveri potest, ne denuò revertatur. Hæc autem ad genus eorum pertinent, quæ *ROBORANTIA* nominantur; quippe enim non subitò corpus afficiunt, sicuti nonnulla eorum, quæ memoravimus, sed lentè et quasi pedetentim vires confirmant.

Valeriana.—Facti certiores, quàm secundis avibus inveterato morbo majori subveniret FABIUS COLUMNA hoc medicamento, medici inducti sunt, ut, contra *hysteriam*, necne, vale-

ret,

ret, experirentur; neque spem fefellit, expertum.

Quum autem hoc medicamentum cor et arterias incitet, cavendum est, ne iis *hystericæ* opportunis detur, quæ profluvio sanguinis afficiuntur, aut ullius partis inflammatione. *Tinctura valerianæ* iis, quæ patent *hysteriæ*, haud raró prosperrimè opitulatur.

Cinchonæ cortex,—cùm cæteris hujus generis præpolleat, optimè meretur laudes, quibus eum scriptis evexerunt medici. Non solùm ènim, modò opportunè assumatur, obstat, ne partes inflammatæ transeant in gangrænam aut emoriantur, atque *typhum* curat et intermittentem; sed etiam, vires redintegrando, morbos haud paucos vetustos ad sanitatem perducit. Haudquaquam igitur mirum est, sæpe, unà cum præparatis ex quibusdam metallorum, à *hystericis* assumi.

Pulvis hujus corticis, cùm praepossit, caeteris plerumque præparatis anteferendus est. Stomachum confirmat, ac intestina; appetitum movet; atque, totum utìque corpus corroborando, minùs mobile reddit.

Multa quoque dicerentur, de aliis medicamentis hujus generis; videlicet *camphorâ*, artemisiâ, pæoniâ, *extracto* hyoscyami, malorum aureorum cortice, et his, siqua, similibus. Sed, quoniam hæc secundas tantùm tenent, non nobis consilium est, de iis fusè dicere; sed potiùs ad èa corroborantia medicamenta transire, quæ ex metallis præparantur.

Hydrargyrus,—cùm aliis quibusdam morbis opituletur, qui in nervorum distentionibus consistunt, efficax quoque ad arcendam *hysteriam* putatur.

Quin hoc medicamentum stimulet corpus, nemini

nemini dubium est. Ex quo enim tempore absorbetur, et in sanguinem defertur, arteriarum pulsus validiores itemque pleniores fiunt; neque, enimvero, ullum medicamentum perseverantiùs incitat.

Hydrargyrus incitandi vim, quam possidet, accipit, uti censet FOURCROIUS, ex *oxygenio*, quocum concorporatur; pariter forsitan, ac præparata cætera ex metallis, quæ incitantibus annumerantur.

JOANNES HUNTERUS conatur exponere, quemadmodum morbos quosdam sanet hydrargyrus. Contendit hic auctor clarissimus, duas simul morbidas actiones neque in corpore, neque in partibus, esse posse, quin alterutra alteram sistat. Si ita sit, nonne hydrargyrus contra *hysteriam* polleat, corporis actionem concitando, ei contrariam et pugnacem, quæ *hysteriæ* accessioni favet?

Nitras

Nitras argenti,—utì testantur medici satis fidi, morbum comitialem haud raro curat; atque, nostrâ ætate, *hysteriam* quoque, ex toto, fugavit. Sola occasio testandi, hujus, necne, morbi accessiones arceret *nitras argenti*, mihi oblata est, dum valetudinarium EDINBURGENUM ventitabam. Tunc, quo tempore ægrorum valetudinibus consulebat DUNCANUS, adolescentula *hysterica* in ægrorum jura ascita est. Postquam complura medicamenta, ex iis quæ spasmum solvunt, nihil profecerant, præcepit medicus, ut, per complures dies, assumeretur *nitras argenti*, atque paulatim augeretur dosis. Medicamento verò parùm valente, morbi accessiones, ut antè, rediêrunt. Sic spe dejectus, medicus præscripsit, ut ægra ter quotidie assumeret unciam aquæ, in qua soluta asa fœtida fuisset. Dein, intermisit morbus; atque, quatuor post dies, per quos integra fuerat, ei permissum est, ut domum reverteretur. Verùm, haud multò pòst, regressus est morbus.

His

His cognitis, virtutem *hysteriæ* pugnacem *nitrati argenti* inesse, affirmare non possum; eòque minùs, quòd, ut mihi visum est, asa fœtida magis, quàm hoc medicamentum, morbum aliquantisper interruperat.

Cuprum ammoniacum—commendat CULLENUS, ob vim, quam possidere putat, morbum majorem arcendi. Adeò tamen sæpe fefellit, ut hodiè ad id rarissimè decurratur.

Prodesset, necne, hoc medicamentum, DUNCANUS, dum valetudinarium EDINENSE frequentabam, expertus est. Fœminæ, DEBORÆ SIMONÆ nominatæ, quæ, adolescentulam *hysteriâ* laborantem conspicata, *globo hysterico* correpta est, *cuprum ammoniacum* assumendum curavit. Spem autem prorsùs frustratum est: atque morbi accessiones æquè, ut antea, graves et frequentes redièrunt. Deinde, asa fœtida cùm ore sumpta est, tum in alvum subtèr

data,

data. Tum, quoniam etiam hoc medicamentum fefellerat, negotium datum à medico est, ut substituerentur *flores zinci* simul et *valeriana*. His medicamentis adhibitis, morbus remisit, neque tam crebrò reversus est. Haud multò pòst, fœminæ, quum, per tres dies continuos, in morbum non recidisset, data domum exeundi copia est.

Huic certè fœminæ *cuprum ammoniacum* omninò nihil profuit; atque, quoniam, ex naturæ quasi contagione, morbum initio nacta est, qui postea consuetudine invalebat, veri profectò simile est, nulla alia medicamenta futura ad percurandum efficacia fuisse.

Præparata e ferro—medicamentis, quibus corroboretur corpus, annumeranda sunt. Ex his præparatis, *oxydum* ferri, *ferrum ammoniatum murias ferri*, primas tenent. Ex his medicamentis proximum, ut à Clinio accipimus,

plurimùm

plurimùm ad spasticas urinæ fistulæ angustias sanandas potest.

In fœminis innuptis *hysteria* nonnunquam oritur ex libidine persentiendi, quantâ voluptate et dulcedine sensus permulceant complexus et admistio corporum; quantis gaudiis pectus compressiunculæ arctæ, mollesque morsiunculæ perfundant; quàmque mirâ jucunditate cor pertentent suaves anhelationes, et libatus Cupido.

Non verò nobis in animo est, medicamenta et incantamenta memorare, quibus vetustiores medici aggrediebantur libidinem impermissa gaudia experiendi sedare. Præcipiebant Plato et Aristoteles libidinantibus fœminis, ut pedes nudæ ambularent; Plinius et Galenus, ut lumbos plumbo surasque cingerent.

Nostrâ opinione, satius esset, fœminas innuptas,

nuptas, quæ, sive naturali quadam humorum luxuriâ, sive animo lascivis imaginibus in amorem accenso, impermissa gaudia concupiscant, à carnibus et libidinosis dapibus abstinere.

Verùm confitendum tamen est, legitimas nuptias, atque Venerem maritam, dulcesque liberos, longè efficacissima ad *hysteriam* percurandam esse remedia.

FINIS.